



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs Illvstratvs

Bessel, Friedrich  
Reinhard, Johann Friedrich

Helmeftadii, 1667

Cap. XXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10996**

tes ipsa Carolo patrociniū debet. Pietate plenum est, inquit Cassiodorus lib. v. Epist. 9. peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, & non tantum patri-  
otus ad substantia lucra admittere, sed ipsos quoque advenas invitare. Recte ergo  
Poeta Anonymus de Vita Caroli lib. v. v. 481.

Nemo peregrinos illò plus fertur amâsse;

Nemo pari cura suscipiebat eos.

In quo pene modum pietas exceſſerat ejus;

Si quid in hoc nimium quisque potest facere.

Nam quod Scriptores Politici peregrinos plerique cum civitate tum offi-  
ciis publicis arcent, ab hospitalitate veterum & rebus publicis quibuscun-  
que maximis nimium quantum abit. Nescio quid in mentem fuerit Iusto  
Lipſo, cum isthæc scriberet, notis ad lib. III. Polit. cap. 17. p. 260. Ut, in quam  
domum veſpillones veniunt, signum est funeris: sic Republica labentis, ad quam sul-  
ciendam adhibentur peregrini. Durè, inquam, nec pro solita sapientiâ: quâ  
tamen in re summos viros Matthiam Berneggerum *quest. miscel.* 159. &  
Henning. Arnizæum lib. 1. *Doctrina Polit.* cap. 12. p. 275. consentientes habet.  
Ego vero Carolum recte rem reputasse arbitror, exemplò Romanorum,  
qui durante Republicâ suâ à Conditoris Romuli usque asylo, plerosque  
populos primùm hostes, deinde cives habuerunt. Verum hoc quicquid  
est pridem exhaustere doctissimi Viri, Besoldus, *classe 11. disput.* 111. *Theſ.* 6.  
Hermannus Kirchnerus *Disput. Polit.* VII. *Theſ.* 3. Francisc. Patricius lib. III.  
de *Republ.* tit. 2. Petrus Gregorius Tolofanus lib. IV. de *Republ.* cap. 5. n. 22. &  
qui suis in Tacitum notis æternam nominis famam meruit, Christoph.  
Forstnerus ad lib. XI. *annal. Tacit.* cap. 23. p. 81.

## C A P. XXII.

1. **C**Orpore fuit amplo atque robusto, staturâ eminen-  
ti, quæ tamen \* justam non excederet: nam septem  
suorum pedum proceritatem, ejus constat habuif-  
se \* mensuram. † Apice capitis rotundò, oculis  
prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem  
excedente, canitie pulchrâ, facie læta & hilari: unde formæ  
authoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima \*  
3. inerat. † Quamquam cervix obesa & brevior, venterque  
projectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum  
celabat æqualitas, incessu firmò, totaque corporis habitu-  
dine

\* Deest  
vox ista in  
Cod. Flor.  
\* Sic MS.  
Vulgò: *fi-  
guram.*

\* MS.  
*adquirebat  
tur.*

dine virili. † Voce clarâ quidem, sed quæ m̄ntis corporis 4.  
formæ conveniret. † Valetudine prospera, præter quod 5.  
antequam decederet, per quatuor annos crebrò febribus  
corripiebatur; ad extremum unò etiam pede claudicaret;  
& tunc quidem plura arbitrato suò quàm medicorum con-  
silio faciebat: quos penè exosos habebat, quod ei in cibis  
assa, quibus assuetus erat, dimittere, & elixis assuescere sua-  
debant. † Exercebatur assiduè equitando, ac venando, 6.  
quod illi gentilitium erat, quia vix ulla in terris natio in-  
venitur, quæ in hâc re Francis possit æquari. † Delectaba- 7.  
tur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, fre-  
quenti natatu corpus exercens, cujus adeò peritus fuit,  
ut nullus ei justè \* potuerit præferri: ob hoc etiam Aquis-  
grani regiam extruxit, ibique extremis vitæ annis usque ad  
obitum continuò habitavit: & non solum filios ad balne-  
um, verum optimates & amicos, aliquando etiam satelli-  
tum & custodum corporis turbam invitavit, ita ut non-  
nunquam centum vel eò amplius homines unâ lavaren-  
tur.

\* MS.  
valeat an-  
tesferri.

## ANIMADVERSIONES

## AD CAP. XXII.

*S*tatura eminenti quæ tamen iustam non excederet) Parum est, quod medio-  
crem Carolo staturam assignat doctissimus Zevcotius *Observat. Polit. ad*  
*Svetonii Casarem cap. 45.* Neque enim mediocritati eum eminenti staturâ  
convenit. Et clarè Poetafter Saxolib. V. v. 335-

*Egregiè procerus, & hoc moderamine iusto:*

*Septem namque suis longus erat pedibus.*

Quinque alioquin pedes ad justam militum staturam requirebant Roma-  
ni Veteres, teste Vegetio *de Re Militari lib. 1. c. 5.* At hanc mensuram Germa-  
nos excessisse vel *Sidonius* locuples auctor est, qui eos non semel *septipedes*  
appellat. Atque hanc Caroli M. fuisse staturam, cum *Ferius Helpericus*, poe-  
matid, quo Caroli M. cum Leone Pontifice congressum describit v. 173.  
testatur, tum singulari opusculo *Marquardus Freherus* staturam Caroli M.  
ex baculo quodam eruditè demonstrat. Meminit ejus virgæ *Notkerus Bal-*  
*bulus,*